DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DYSENTERIA.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES GOING,

HIBERNUS.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

350337

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Viro perilluſtri,

R O B E R T O A D A I R,

Chirurgo Exercitus Generali,

Nec non

Noſocomiorum Militarium

Inſpectori Primario, &c. &c. &c.

Omni virtute ornato,

Nemini literis ſecundo,

Propter innumera beneficia,

Re vera immerita,

In ſe collata,

Has ſtudiorum primitias,

Ea, qua par eſt, obſervantia,

D. D. CQUE

A U C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31871604_0002

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

HUIC morbo δυσεντερίαν Graeci, et *tormina* vel *difficultatem inteſtinorum* Latini, nomen indiderunt. Eum vero cum diarrhoea aliiſque canalis alimentarii excretionibus frequenter confuderunt. Si a nigra bile proficiſceretur, vel carunculae deſcenderent, finem infauſtum habiturum eſſe, ut ſcripta eorum nonnulla plane teſtantur, illis fuit perſuaſum. Dyſenteriam *inteſtinorum rheumatiſmum* vocat clarus Akenſide, et utrumque morbum eundem eſſe affirmat. His vero parum accuratis non diutius immorabimur; ſed definitionem Cullenianam excellentem tradere pergemus, quae hunc morbum ab omnibus aliis clare ſecernit, et praecipua ejus ſymptomata accuratiſſime deſignat.

DEFINITIO.

"Pyrexia contagioſa, dejectiones frequentes mucoſae, vel ſanguinolentae, retentis plerumque faecibus alvinis; tormina, teneſmus."

HISTORIA MORBI.

Dyſenteria ab horrore et rigore ſaepe, a laſſitudine et debilitate ſummis, nauſea, ſapore in ore bilioſo, et non raro a bilis ipſius vomitione, cibi averſatione incipit. Haec ſigna brevi excipiunt ſenſus caloris, ictus arteriarum celeres, ſitis adaucta, dolor capitis aliquando, et alia pyrexiae ſigna. Haec autem plus minus inflammationis ſecum, pro corporis natura, adducere, vel ſumma ad putredinem proclivitate ſtipari poſſunt. Morbus vero formam remittentem tertianamve nonnunquam ſibi aſſumit. In aliis, contra, exemplis, parum nihilve fere febris ſubeſt, et morbus, in morem diarrhoeae, incipere, vel dejectionibus copioſis et bilioſis comitari poteſt. Sub ipſum morbi initium, aegroti ſingultu nonnunquam corripiuntur, vel alvus praeter conſuetudinem adſtricta eſt, dum inflatio inteſtinorum et violenta tormina ſummam moleſtiam faceſſunt.

In

In pleriſque caſibus vero a crebro deſidendi deſiderio, quod tormina comitantur, morbus incipere conſuevit. Tormina quidem in nonnullis exemplis ex toto defuerunt. Adeſt quoque nonnihil teneſmi. Dum huic indulgetur, parum evacuatur. Haec ſigna, morbo progrediente, conſtantiora et graviora evadunt. Sub quacunque formarum, quas ſupra comprehenderimus, coeperit morbus, faeces brevi eaedem fere fiunt, et e muco ſpumoſo potiſſimum conſiſtunt, ſanguine magis minuſve plerumque tinctae, diverſum colorem et ſpiſſitudinem habere poſſunt. Merus ſanguis, et non parva quidem quantitate, nonnunquam effunditur, adeo ut vitae aegrotantis periculum inferat, et eum aliquando extinguat *. Pauculis diebus ab initio morbi elapſis, ſtercus rite formatum raro ſemet oſtendit, niſi ſub forma globulorum retundorum et induratorum, vel ſcybalorum, quae in cellulis coli fuerunt detenta. Haec, ope naturae ſola, vel medicamento purgante evacuata, omnia ſigna, ſed non ſemper in tempus longum, aliqua ex parte levant. Subſtantiae, adipem caſeumve referentes, et filamenta membranacea quoque, vel partes tunicae inteſtinorum villoſae abraſae, quae ſaniei putridae purive aliquando admiſcentur, exemplis in quibuſdam excernuntur. Vermes ſaepe deſcenderunt, et aliquando etiam ab aegrotantibus fuerunt rejecti. Per morbi decurſum frequenter repetunt ſapor oris bilioſus, nauſea, et bilis vomitio. Dolores ab inflatione proficiſcentes in partibus abdominis diverſis ſaepe ſenſi fuerunt, et circa coſtas ſpurias dolores non defuerunt, qui ſpiritum difficilem reddiderunt,

* Moſeley on Tropical Diſeaſes, p. 169.

runt †. Si morbus inveteravit, prolapſus ani aegrotum miſerandum non raro corripit, qui ſtranguria vel urina ſuppreſſa aliquando ſtipatur.

Hi ſunt modi maxime communes, quibus dyſenteria incipit. Gravitate, pro ratione febris, quae adeſt, increſcit, et varium ſpatium aliquamque ſignorum varietatem, diverſis in hominibus, pro habitu corporeo aliiſque aegrotantium propriis, habere poteſt. Cum febris abeſt, morbus in menſes poteſt protrahi, et exitum pauculis diebus, ob ſtatum inflammatorium putridumve violentem vel reditum eorundem et auctum, lethalem habere. Signa febrilia paucis diebus plerumque decedunt, et aeger, ſi in bonam medendi viam fuerit proceſſum, aliquando brevi ad ſanitatem reducitur. Morbo vero provectiore, typhus febriſve nervoſa nonnunquam accedit, et periculum non modicum aegrotanti minitatur. In quibuſdam caſibus gravioribus, una cum morbo incipit, et per totum ejus decurſum manet. Alios aegrotorum urget perpetua ad ſomnum proclivitas, alios vigilia, alios, ſub ipſum morbi initium, convulſiones. In caſibus minus gravibus ‡ delirium primis diebus ſemet oſtendit. Prout morbus progreditur, ſi periculoſior et gravior ſit, lingua, quae muco albido viſcidoque prius fuit obducta, colorem fuſcum nigrumve ſibi aſſumit. Dentes ſubſtantia nigra incruſtantur, ſitis non modica ſubeſt, et cutis ſicca et calida evadit. Invadunt magnus moleſtiae ſenſus, ſubſultus tendinum, convulſiones, delirium, eruptiones miliares, petechiae aliquando

† Vid. celeb. Cleghorn on the Diſeaſes of Minorca.

‡ Vide Zimmerm. ap. 3. ad 7.

quando et aphthae. In aliis exemplis corpus omnino emacreſcit, et dolores vagi, rheumatiſmi proprios referentes, in variis abdominis artuumque partibus ſentiuntur. Cibos leviſſimos rejicit ventriculus, oppreſſio circa praecordia ſentitur, vel tormina, quantum gravitatem ſpectat, augeri periclitantur, nec cum aegrotus deſedit, remittunt. Dejectiones frequentiores evadunt, et, in pleriſque exemplis, odorem foetidum intolerandum emittunt, praeſertim ſi canalis alimentarius gangraena quoque laborat. Antequam hoc incidit, aliquando nigrae, oleoſae, et foetidae fiunt, et portiunculae carnis lividae excernuntur. Urina pallida et limpida evadit, et parce redditur. Quae dejiciuntur, ea tenuia et ichoroſa reddi poſſunt *. Tormina, quae ante aegrotum ſummis cruciatibus affecerunt, ceſſant, ſingultus accedit, pulſus arteriarum intermittunt debileſque fiunt. Sudores frigidi prorumpunt, et ſtercus et urina ſine voluntate excernuntur. Cibus et potio difficulter incipiunt devorari, extrema corporis frigeſcunt, viſus imminuitur, vel ex toto amittitur, et mors tandem miſeriarum aegrotantis finem facit. Hac quoque morbus ſaepe finitur, quamvis non adſunt omnia ſigna ſupra comprehenſa. Univerſa quidem nunquam in eodem homine conjunguntur.

Silentio denique non praetereundum eſt, dyſenteriam mari ſemet frequenter oſtendere. Claſſes Galliae Hiſpaniaeque conjunctas, bello proximo, occupavit, et ſocios, quos infeſtaverit, navales, debiles languidoſque effecit. His in

* Vide Huxhamii Opera.

in Gallia expoſitis, morbus in totum propemodum littus ſemet diffudit, et multa mortalium millia rapuit.

INCISIONES CADAVERUM.

Inteſtina ampliora fere conſtanter inflammatione vel gangraena, ſaepe aliqua ex parte utraque, plurimum affecta fuere reperta. Colon et rectum a morbo plurimum detrimenti plerumque capiunt, et, ut experientia docet, a conſtrictione aliquando non vacant. Nonnullis in exemplis exulcerata ſunt. Tunicae praeter conſuetudinem craſſae redduntur, et ſpeciem nigram putridamque prae ſe ferunt. Tunica villoſa frequenter perdita, indurata, vel eroſa eſt, et tubercula ſchirroſa cavum coli coanguſtant compluribus in locis, puſtulas varioloſas, cum numeroſae ſunt, reddentia. Ulcera exigua innumera viſa ſunt, quae ilium occuparunt, a ſe invicem tres digitos aut circiter diſtantia. Inteſtina tenuiora frequenter praeter naturam connectuntur. Bontius memorat, ſe veſiculam felliferam humore albido cataplaſmati, ex amylo confecto, ſimili diſtenſam reperiſſe, nullis reliquiis bilis ſemet oſtendentibus. Lamongerius eandem pure repletam offendit. Peritonaeum ſaepe juſto craſſius redditum inteſtinis adhaeret, et glandulae meſentericae tumefactae ſunt. Veſica urinifera et reliqua viſcera in conſpectum frequenter data fuerunt, non parum affecta.

DIAG.

DIAGNOSIS.

Dyſenteria incipiens diarrhoeam nonnunquam tantopere reddit, ut non ſemper facile ſit unam ab altera ſub initium accurate ſecernere. Similitudo vero hujuſcemodi rarior eſt, et diſcrimen inter duos morbos brevi poteſt reperiri. Namque faeces naturales in diarrhoea excernuntur, quae, diebus pauculis elapſis, in dyſenteria plerumque retinentur, et raro, niſi ſub forma globulorum rotundorum et induratorum, vel ſcybalorum, quae in diarrhoea nunquam videntur, apparent. Quinetiam diarrhoea febre plerumque caret, et nunquam ſemet contagione diffundit. Res vero in dyſenteria longe aliter ſeſe habet. Inſuper, tormina et teneſmus graviora et frequentiora in dyſenteria laborantibus ab auctoribus eſſe dicuntur. Hoc vero ad duos morbos diſtinguendos minime ſufficit, quoniam diarrhoea conflictantes ſaepe violenter quoque vexare conſuerunt. Nauſea biliſque vomitio, ut dyſenteriae propriae, quoque memorantur; ſed diarrhoea his ſignis minime deſtituitur. Igitur nullum diſcrimen indubitabile duos inter morbos conſtituunt. Hoc vero nullius momenti eſt; namque reliqua ſigna, ſupra recenſita, ad eos ſecernendos omnino ſufficere ſemper reperientur.

CAUSÆ REMOTÆ.

Dyſenteriam putridam naturam plerumque habere hinc evidentiſſime conſtat, quod iis, tempeſtatibus, et in iis locis, ubi ſolida et humores proclivitatem ad putredinem inſolitam habent, ſaepiſſime ſemet oſtendit, et febribus putridis aliiſque frequenter ſtipatur. Quinetiam, vir clarus Moſeley notat, excretiones alvinas his horis frequentiores eſſe, et omnia ſigna graviora evadere, quibus febres eodem tempore epidemice graſſantes exacerbantur ; et contrarium incidere, dum hae febres remittunt. Inſuper, dyſenteria non raro cum febribus remittentibus et tertianis conjungitur. In quibuſdam caſibus, dyſenteria in remittentem, vel tertianam, et vice verſa, mutatur. In exemplis hujuſcemodi, paroxyſmi tertianarum torminibus dejectionibuſque conſtanter fuerunt ſtipati, quod opinioni, hoſce duos morbos ab iiſdem cauſis remotis proficiſci, favere videtur. Eidem fidem facere haec quoque forſitan exiſtimabuntur, quod iiſdem anni temporibus iiſdemque locis oriuntur, quodque excretionibus bilis copioſis levati fuerunt. Cum vero cholera in iiſdem rerum conditionibus, et iiſdem tempeſtatibus, quae ſtatum bilis in corpore humano non parum afficiunt, appareat, et ſignis dyſenteriae propriis ſaepe deſtituatur, quidnam nexus dyſenteriam inter et bilis conditionem intercedat, pro certo ſtatuere difficile eſt *.

Cauſas

* Vide Firſt Lines of the Practice of Phyſic.

Cauſas autem remotas, quae variae ſunt, quaeque interdum in ea excitanda conjungi videntur, in praediſponentes et excitantes, vel in ſeminia et poteſtates nocentes, uti a multis pathologis appellantur, dividendas putamus.

SEMINIA.

His merito accenſentur omnia, quae vim debilitantem habent, ut animus demiſſus, ſtudium intenſius, jejunium, nimia abſtinentia, exercitationis idoneae defectus, quae circuitum humorum retardant, et habitum corporeum univerſum infirmant. Qui morbis praecedentibus debilitantur, et ex iiſdem tantum adhuc convaleſcunt, ii ad dyſenteriam admodum ſunt proclives. Seminiis quoque, non ſine cauſa graviſſima, annumerata fuit immunditia, quae corpus, perſpirationem cutaneam ſupprimendo, debilitat, et vim morborum a contagione proficiſcentium intendit. Idem praeſtant debilitas et irritabilitas, quae nimiam liquorum ſpirituoſorum, praeſertim ſi generis pravi ſint, et vini, potationem ſubſequuntur; venus frequentior, defatigatio, corpus coelo calidiori et diuturniori objectum, quod calor corpus, potiſſimum ſi humiditas ei fuerit adjuncta, expandit et ſolvit, quod debilitatem facit, et conditionem humorum jam putreſcentem adauget.

POTESTATES NOCENTES.

Dyſenteria oriri exiſtimata fuit ab exhalationibus putridis regionum humilium et paludibus abundantium, foſſarum ſtagnorumve ſemi exſiccatorum, ubi res animales et vegetabiles corruptae et vitiatae putreſcunt. Quinetiam, uti neminem fugit, in locis depreſſis et ſylvoſis epidemice frequenter graſſata eſt, ubi aër ſtagnando, et propter foliorum aliarumque ſubſtantiarum corruptionem, humidus et nocivus evadit. Morbum plerumque movent aër nocturnus, ſi ei nimis diu fuerit objectum corpus, nebulae, imbres denſiores, ſtragula humida, vel pavimenta madida, ſi iis, in ſpatium longius, fuerit inambulatum. Inſuper, morbus caſtra frequenter infeſtat, quoniam milites ibi manentes viciſſitudinibus caloris diurni humiditatiſque nocturnae, quibus nihil magis ad proclivitatem ad putredinem, corpus relaxando et perſpirationem ſupprimendo, augendam confert, perpetuis objiciuntur. Nec caſtra quidem, licet in locis editioribus ſita ſint, eodem ſemper vacant. Si terra pro cubili adhibeatur, vel lecti adverſus ejus humiditatem non rite defendantur, oriri maxime periclitatur, praeſertim ſi exercitus in regione calidiore caſtra poſuerit. Vir clarus Dr Wardrope dyſenteriam caſtris Britannicis in America, bello ſuperiore, ab humiditate ſola, licet nulla cauſa foret, cur contagionem ſpecificam adeſſe ſuſpicaretur, proficiſci notavit. Ipſe eandem

frigus

frigus corpori applicatum, ubi debilitas corporis aliquamdiu invaluerat, repente ſubſequi ſaepe novi. In quibuſdam aegrotantium ſenſus frigoris et horror progenerantur, quae canalem alimentarium non parum afficere conſuerunt. His adjunguntur aliquantum nauſeae, et non raro bilis vomitio. Quibus alvus ante fuit adſtricta, ii gravius violentiuſque vexantur. Apud pauperculos a pane e frumento vitiato confecto, vino corrupto et praeter conſuetudinem acido, &c. dicitur oriri. Cibus animalis et aqua putrida, quibus nautae victitare coguntur, et defectus aëris liberioris et purioris, ob plures juſto in eadem navi condenſatos, ut mari ſemet oſtendat, facere videntur. Idem praeſtant vapores putridi, a ſubſtantiis animalibus extinctis, quae diu inſepultae jacent, et ſub dio putreſcunt, ut in urbibus obſeſſis incidere ſolet, orti. In locis vero hujuſcemodi aliae cauſae ſubeſſe videntur, quae ad hunc morbum excitandum non parum poſſunt conferre, quales ſunt caloris et humiditatis viciſſitudines, corpus aëri nocturno objectum, victus parcior, &c. Quantum ad hoſce vapores putridos attinet, Cullenus illuſtriſſimus memoriae prodit, ſe eos diarrhoeam aliquando facere noviſſe, ſed dyſenteriam ab iiſdem profectam fuiſſe nunquam pro certo diſcere potuiſſe.

Nonnulli referunt, morbum in iis, qui recens ad Indiam Occidentalem advenerunt, a fructibus immodice adhibitis oriri. In pleriſque exemplis, diarrhoeam, ſed raro, ſi unquam, dyſenteriam, niſi contagio ſpecifica corpore fuit recepta, movent. Succus immaturus arundinis ſacchariferae, nimia quantitate ſumptus, uti ſatores apud inſulas Indiae Occidentalis notarunt, Æthiopibus nuper invectis dyſen-

dyſenteriam funeſtiſſimam intulit. Pravos hujus effectus videndi occaſio mihi quondam ſubminiſtrata eſt. Diarrhoeam, torminibus gravibus ſtipatam, fecit, quae, multis in exemplis, in dyſenteriam deſiit. Ex his ſimilibuſque conſtat, fomitem, ut vulgo appellatur, vel ea, quae ſpiracula cutis effundunt, dum dyſenteria laboratur, et potiſſimum dum nimis multi in uno loco coarctantur, ad morbum excitandum, ſine frigore aliiſque cauſis ſupra enumeratis, quae tantum, ut corpus, leviore contagione, quae alioquin non moveret, applicata, in eum facilius incidat, facere videntur, ſemper ſufficere. Exempla etiam non defuerunt, ubi contagio, actionis expers et innocua, in veſtimentis in aliquot menſes fuit retenta, et morbum poſtea concitavit. Denique, contagio ſpecifica pro cauſa hujuſce morbi remota conſtanter habenda.

CAUSA PROXIMA.

Cum habitu corporeo ſcorbutici putridive, aëri corrupto foedoque objecti, diaeta prava utentes et immundi, magis dyſenteriae, et graviori, quam alii, pateant; nonnulli materiam acrem, putridam, et irritantem intra corpus generari, eandem ſanguine receptam ibi, in modum fermenti, agere, et ut venenum nocivum in canali alimentario, quod tunicas ei tenerrimas inflammare, irritare, aut erodere poſſit, deponatur facere, exiſtimaverunt. Exemplum

inſigne

inſigne viri dyſanteria vera correpti, dum experimenta in ſanguinem humanum, aliquot menſes in phiala clauſa manendo putridum redditum, inſtitueret, memoriae tradit illuſtris Pringelius. Idem auctor notat, inteſtina tenuiora ſub initium potiſſimum affici videri; ſed corruptionem, prout humor in colon rectumque deſcendit, ibique ſtagnat, eo uſque, ut hae partes ad extremum inflammatione vel gangraena corripi periclitentur, intendi.

Cum morbus in morem diarrhoeae, vel ab excretionibus alvinis copioſis bilioſis, incipit, inteſtina obſtructione omnino carent. Morbus hoc tempore ab aliqua materia acri, vel irritante, oriri videtur, quae motum inteſtinorum periſtalticum intendit. Haec tunicas canalis alimentarii teneras irritat aut erodit, et ita ad extremum, inflammationem, igiturque conſtrictionem, facere poteſt. Quinetiam, more cauſtici, in tunicas vaſorum ſanguiferorum agendo, profuſiones ſanguinis periculoſas vel funeſtas movere valet *. Faeces naturales plerumque retinentur, et, cum excernuntur, formam habent, unde in cellulis coli diu retentas fuiſſe concludere licet. Ita retenta irritationem, tormina, et teneſmum conſervant, et eadem una cum omnibus aliis ſignis graviora efficiunt, gangraenam aliquando facientes. Ea eſt canalis alimentarii, cum inflammatur et tunicae ei eroduntur, irritabilitas, ut ſubſtantia molliſſima deſcendens eum irritat et dolore afficiat. Hanc ob cauſam, ſcybala excreta, quae gravitatem omnium ſignorum plerumque diminuunt, nihil levaminis aliquando ſecum adducunt.

Con-

* Vid. Praelect. celebr. Monroii.

Conſtrictionem autem talem, qualis ſupra fuerit comprehenſa, ſimul cum inflammatione, ulceratione, vel gangraena, inteſtina laxiora potiſſimum afficiente, ſubeſſe demonſtrat cadaverum inciſio. Ita, judicio noſtro, materia acris et conſtrictio coli ſpaſmodica pro cauſa dyſenteriae proxima habendae. In hanc ſententiam conceſſit Cullenus illuſtriſſimus: "I apprehend, therefore, that the proximate cauſe, or at leaſt the chief part of the proximate cauſe, conſiſts in a preternatural conſtriction of the colon, occaſioning at the ſame time thoſe ſpaſmodic efforts, which are felt in ſevere gripings, and which efforts, propagated downwards to the rectum, occaſion the frequent mucous ſtools and teneſmus *." Haec notio tamen difficultatibus ſuis premitur; et non parum obſcuritatis habere videtur. Moſeleius, Sydenhamii immortalis veſtigiis inſiſtens, contendit, dyſenteriam eſſe febrim ſui generis, quae introrſum canalem alimentarium verſus dirigitur, et ponit, eandem a perſpiratione obſtructa conſtanter pendere, quae, ſi morbo rite et efficaciter occurrere velis, curſui naturali cum primum reddenda. In medium vero ſupra prolata ſatis clare evincere videntur, morbum a mera perſpiratione ſuppreſſa, contagione ſpecifica abſente, nunquam poſſe oriri.

* Vide First Lines of the Practice of Phyſic.

RATIO

RATIO SIGNORUM.

Signa febrilia, quae hunc morbum comitantur, ab eadem cauſa remota, unde febris in genere, proficiſcuntur, et pro regione, anni tempeſtate, ſitu, et habitu aegrotantis corporeo variant. Ea faciunt atonia ſpaſmuſque vaſorum extremorum ſuperficiei corporis, et actio cordis arteriarumque adaucta.

Mutationes, quae incidunt, ut ſecretio bilis, et muci e glandulis inteſtinorum, adaugeatur faciunt. Illa impetui humorum introrſum facto, qui in hoc morbo nunquam non incidit, potiſſimum tribuenda, haec eidem cauſae et irritationi canalis alimentarii conjunctis. Nec mirum eſt, cum materia acris et putrida in inteſtinis tantopere dominetur, et in modum fermenti forſitan agens, vires majores ſibi indies comparet, ea inflammari, erodi, irritari, dejectiones frequentes evadere, et teneſmum urgere. Rebus ita ſe habentibus, vix fieri poteſt, quin colo ſenſu acutiſſimo praedito, et igitur admodum irritabili, conſtrictio ſpaſmodica inferatur. Haec autem ſtercoris naturalis excretionem non impedire non poterit, et igitur ut in cellulis coli accumuletur faciet. Ibi accumulatum, partibus tenuioribus abſorptis, tandem indureſcet, et, conaminibus reiteratis adhibitis, ſub forma ſcybalorum deſcendet. Quantum tormina ſpectat, ea hoc in morbo non adeſſe non poſſunt, cum colon ſenſile non tantum ſpaſmodice con-

conſtringatur, ſed non raro etiam inflammetur; cum inflatio, ob ſtricturam ſpaſmodicam, deſcendere ſaepe nequeat, et igitur canalem alimentarium, praeter conſuetudinem diſtendat; cum denique materia acris tunicis inteſtinorum tenerrimis conſtanter admoveatur, quae eas graviſſime ſtimulet et irritet oportet. Quantum ad teneſmum attinet, is, Culleno judice, ab oſcillatione quadam a loco conſtrictionis, ultra quem motus periſtalticus rite pleneque nequit propagari, ad anum uſque diffuſa, et ibi, quaſi in puncto fixo, ſiſtente, pendet. Si hic graviter urgeat, prolapſum, ob conamina deſidendi conſtantia, reiterata, et inefficacia, ani invadere minime mirandum. Si ſtranguria vel ſuppreſſio urinae accedat, inflammationi vel irritationi a recto cum veſica urinifera communicatae tribuenda. Dejectiones ſanguinolentae et copioſae ſanguinis profuſiones, quae nonnunquam ſemet oſtendunt, a vaſis ſanguiferis ruptis aut eroſis proficiſcuntur. Nec eſt cur miremur, vaſa ſanguinem vehentia frequenter erodi, cum proclivitas ad putredinem crebro eo uſque progrediatur, ut dejectiones foetorem intolerandum emittant, et petechiae, craſi ſanguinis aliqua ex parte forſitan diſſoluta, in ſuperficie corporis appareant.

PROGNOSIS.

Hic morbus plurimum periculi ſemper habet, ſi prima vomitio emetico excitata alvique purgatio aegrotos, eos

potiſſi-

potiſſimum qui morbis putridis, ut ſcorbuto, &c. laborant, non levant. Ætate provectos, mulieres gravidas, et pueros praeſertim, quibus nondum multum aetatis acceſſerit, ſi ei ſub initium non rite fuerit occurſum, plerumque rapere conſuevit. Quinetiam exitus morbi non parum metuendus, ſi tormina, alvo evacuata, non remittunt, ſi febris lenta nervoſa ſubeſt, quae vel per totum morbi decurſum manere, vel, eo bene provecto, accedere poteſt. Febris modo inflammationem evidenter habet, modo plurimum proclivitatis ad putredinem oſtendit, quod utrumque ex aequo periculoſum. Petechiae, aphthae, et ſigna ſimilia, quae gradui putredinis pro rata ratione conſtanter reſpondent, aegrotum in magno periculo verſari demonſtrant. Singultus, morbo inveterato, gangraenam acceſſuram eſſe ſignificat; ſi vero mature accedit, non multum timendus. Senſus oppreſſionis circa praecordia, ſudores frigidi, ardor abdominis, ſubſultus tendinum, delirium, convulſiones, lethargus, tormina violenta, quae aegrotum ante magnopere excruciarunt, ſubito ceſſantia ad extremum fere ventum eſſe teſtantur. Aliquantum ſpei tamen ſemper foveri poteſt, dum ſtercus et urina non ſine voluntate excernuntur. Signis lethalibus icterum Baglivius, urinam limpidiſſimam parciſſimeque excretam Huxhamius, accenſet.

Si vero, contra, appetentia cibi redeat, ſi ſitis et tormina leventur; ſi dejectiones minus frequentes magiſque copioſae evadant, et ſpeciem naturalem prae ſeſe ferant; ſi humiditas lenior in ſuperficie corporis ſemet oſtendat; ſi ictus arteriarum pleniores et molliores fiant; ſi denique lingua ſordibus liberari incipiat, morbum exitum felicem

habiturum eſſe, et reditum ſanitatis non longe diſtare, ſumma cum fiducia promittere licet.

RATIO MEDENDI.

Conſilia autem medendi, quae huic morbo conveniunt, ſequentia eſſe videntur:

1. Febrim ſanguinis detractione curſumque humorum ad ſuperficiem faciendo compeſcere vel removere.

2. Ea, quae ſtomacho et inteſtinis continentur, libere evacuare, et tormina levare.

3. Vires aegrotantis ſuſtinere, et ne humores ad putredinem nimis vergant cavere.

Cum hic morbus naturam diverſam habeat, modo plus minuſve inflammationis, modo plus minuſve proclivitatis ad putredinem oſtendens, conſilia medendi, pro gravitate ſignorum, habitu aegroti corporeo, anni tempeſtate, regione ſimilibuſque varient oportet.

Cum morbus ſignis inflammationis ſtipatur, ut vere et initio hyemis incidere ſolet, ad ſanguinis detractiones, morbo recente, poteſt decurri. Poſtea vero, cum proclivitas ad putredinem ſemper non parum timenda ſit, ſanguis caute parceque eliciatur oportet. Quantum autem mitti debeat, ictus arteriarum aliaque aegrotantis propria ſola monſtrare poſſunt.

Vir

Vir clariſſimus Dr D. Monro ſanguinis miſſionem plurimum proficere compertus eſt, ſi aeger dolorem recti prope anum violentum conquerebatur. Hoc modo ſuppurationem timendam praecavebat. Caeterum, aeſtate exeunte, vel autumno incipiente, non ad ſcalpelli uſum, niſi admodum caute, confugi debet, quoniam iis temporibus proclivitas ad putredinem praeter conſuetudinem magna ſubeſt. Si notae tamen inflammationis evidentes ſemet oſtendant, ſanguinis miſſio, ſub initium morbi, non aliena eſſe videtur. In plagis calidioribus raro, aut nunquam, neceſſaria. Licet febris non modica ſit, et multa illam evacuationem poſtulare videantur, ventriculum et inteſtina deplere ad eam pulſus, quae invaleſcit, plenitudinem tollendam ſufficere reperietur.

Cum aegrotus queri primum incipit, emeticum praecipiendum, niſi ſanguinis detractio prius neceſſaria eſſe videbitur. Grana pulveris ipecacuanhae, a quindecim ad viginti uſque data, ad vomitionem excitandam ſufficient. Si vero febris ſubeſt, grana tartari emetici, a dimidio ad duo uſque, ipecacuanhae admiſcere conveniet. Vomitio infuſo chamomaeli promoveatur. Haec via eſt ventriculum deplendi, diaphoreſin lenem eliciendi, ſi corpus calidius ſervetur, et dejectionem unam alteramve movendi optima et efficaciſſima. Evacuatio alvi lenior in vim febris non parum poterit. Mane ſequente, ſolutio ſalis Glauberiani, ex intervallis, ſumenda, et actionem ejuſdem juvandi aqua ex hordeo tepida liberaliter bibenda. Cum emeticum veſpere antecedente non datum fuit, nonnihil tartari emetici ſolutioni adjungere omni conſilio reſpondebit. Hoc, ſi febris pergit, neceſſarium eſſe videtur. Medicamentum

dicamentum hoc modo confectum bilem copioſe evacuat, et poſtea, deorſum tendendo, quamlibet materiam putridam in canali alimentario collectam foras expellit, formationi ſcybalorum in cellulis coli potenter obſiſtens. Hoc, vel aliquod aliud medicamentum purgans lene, cum vel ſine tartaro emetico, prout conditio ſignorum poſtulabit, ſingulis diebus, vel unoquoque ſecundo tertiove, praeſcribendum. Formula ſubſequens, ut Lindus cereberrimus teſtatur, votis medicorum optime reſpondebit : ℞. Mannae Opt. ℥i. Tart. Emet. gr. ii. Emulſ. Commun. lib. i. Syr. Papav. ℥ſs. Hujus miſturae uncia quaque hora dimidia capienda, et opiatum ſub noctem dandum †. Poſterius, torminibus urgentibus, magnopere proderit. Zimmermannus multum fructus a vomitione percepit. Solutionem chryſtallorum tartari ex aqua hordei praecepit, quae doſibus reiteratis, pro viribus aegrotantis, ſumebatur, et per noctem continuabatur. Ad doſin tamarindorum ſecundo tertiove die confugiebatur. Haec cum chryſtallis tartari, pro gravitate febris et torminum, alternatim repetebatur. Si poſteriora graviter urgebant, medicamentis modo poſitis, fomentis abdomini applicatis, emulſo ex amygdalis infuſove chamomaeli tepido dato, enematis gummi Arabici ex aqua hordei ſoluti ſimilibuſque, optime levabantur. Febrim, ſi concitatior erat, intendere reperiebatur laudanum. Haec medicamenta, ut idem vir clarus notavit, eoſdem bonos effectus ediderunt, ubi ſanguis immodice fuerat dejectus.

Moſleius,

† Vide Treat. on Diſeaſes incidental to Europeans in hot climates.

Moſleius, in morbis Tropicis exequendis, medicamenta ſudorifica contra hunc morbum his modo poſitis efficaciora eſſe contendit, et ut ad detractiones ſanguinis reiteratas, nonnullis in exemplis, decurratur ſuadet, ſi aeger plenior eſt, vel haec medendi via non rite procedit. Hoc facto, morbum, omni in exemplo, depellebat. Prius emeticum, deinde opiatum, ſub noctem, dat. Inteſtina, aegroto viribus convulſis, caute evacuat. Quo curſum ſanguinis ab inteſtinis ad exteriora vertat, ſudorifica, qualia ſunt vinum antimoniale, vitrum antimonii, aliaque medicamenta emetica, opiatis adjungit. Ut aeger bene obtegatur caliduſque ſervetur, et liquores diluentes calidos copioſe bibat, praecipit. Effectus nocivos, qui ab opiatis plerumque oriuntur, per ſpatium ſudandi praecaveri, et cum commodo dari poſſe affirmat. Sudore excitato, dejectiones minus ſanguinolentas evadere, et quantitate diminui notat. Tartarum emeticum actione juſto violentius eſſe, et reliqua medicamenta comprehenſa efficacia non adaequare exiſtimat. Idem auctor memoriae prodit, fluxum alvinum, veſpere appetente, conſtanter augeri, et in aliquantum temporis poſtquam diminutus fuit, pulſus arteriarum celeriores evadere, et aegrotum febricitare incipere. Rebus ita ſe habentibus, ut ad diaphoretica decurratur, et in uſu corticis Peruviani per diem perſtetur ſuadet.

Si ſanguis quantitate non immodica excernitur, Lindus celeberrimus opinatur, tincturam roſarum, cui aliquantum acidi vitriolici adjectum eſt, adhiberi; aegroto juſto pleniori ſanguinem, quo impetus ejus diminuatur, emitti; inteſtina ſalibus mediis refrigerantibus depleri, et curſum humorum

humorum ad ſuperficiem corporis praeparatis ex antimonio laudanoque conjunctis, et balneo tepido fieri, oportere, praecipue ſi tormina graviter urgent. Juvabunt quoque ſemicupium, fomentationes, vel epiſpaſtica, abdomini admota. Si vero fluxus ſanguinis immodicus ab humoribus diſſolutis proficiſcatur, ad purgantia antiſeptica et refrigerantia, quibus acida ſunt adjuncta, et ad corticem Peruvianum ſpiritu vitrioli, tenui acidum redditum confugi debere exiſtimo.

Si febris remittat vel intermittat, ſi nulla inflammationis ſigna appareant, ventriculo et inteſtinis ſatis depletis, cortex Peruvianus, ſub ipſum morbi initium, aliquando cum primum febris remiſit, ne continua evadat, quod in regionibus ad Auſtrum vergentibus incidere periclitatur, adhibeatur oportet. Cum dyſenteria febre intermittente ſtipatur, in eandem fere medendi viam procedi debet. Poſt ſecundam tertiamve intermiſſionem cortex praecipiendus. Laudanum liquidum ei adjungatur, ne nimis celeriter deſcendat. Si ab uſu ejus maturiore ſigna febrilia oriantur, ad evacuationes decurrendum eſt. Quibus adhibitis, morbus plerumque miteſcet. In regionibus vero frigidis, vel cum ſigna inflammationis ſemet oſtendunt, cautius agamus neceſſe eſt.

Inter pleroſque auctores convenit, purgantia leniſſima naturae hujuſce morbi maxime accommodari. Quae aliis conveniunt, ea aliis perquam ingrata ſunt. Pulvis ipecacuanhae tartarumque emeticum ſeparatim conjunctimve data, quae continentur ventriculo et inteſtinis evacuando, curſumque humorum ad ſuperficiem faciendo, potiſſimum ſi cum opiato, morbo provectiore, fuerint conjuncta, plurimum

rimum ſolent proficere. Finem morbi verſus, cum multum purgationis non neceſſarium eſt, opiata iis medicamentis adjuncta efficaciſſime juvant. Qui ſalutares effectus praeparata ex antimonio et alia medicamenta emetica, doſibus exiguis data, ſubſequuntur, ii, Culleno illuſtriſſimo judice, a poteſtate eorum purgante omnino pendent. Hoc admodum probabile reddit quantitas materiae putridae, quam evacuant, magna quae retenta gravitatem morbi non parum augeret. Purgantia oleoſa, cum aliquid febris adeſt, minus idonea eſſe videntur, quoniam in ventriculo rancida evadere periclitantur. Alioquin acrimoniam materiae putridae, quae in ventriculo et inteſtinis continetur, obtundendo, et materiam ipſam evacuando, multum proficerent. Aqua tepida liberaliter epota, ut Huxhamius aliique ſuadent, acrimoniam, quae in ventriculó et inteſtinis ineſt, diluendo, juvare reperietur. Idem praeſtabunt decocta varia, qualia ſunt decoctum altheae, hordei, &c. Haec quoque ad conſtrictionem coli ſpaſmodicum relaxandum conferent. Si vermes adſunt, rhabarbarum cum aliquanto calomelanos conjunctum, formaque boli datum, potentiſſimum et efficaciſſimum remedium eſſe videtur. Cum tormina et teneſmus a ſcybalis pendent, emetica danda ſunt, et purgantia, qualia ſunt ſolutio ſalis Glauberiani cum vel ſine tartaro emetico, vel calomelane. Fructus recentes, morbo nondem longe provecto, cum commodo adhiberi poſſunt ; ſed uſu eorundem, per ſtadia ulteriora, ubi acor morbidus invaleſcit, caute diligenterque abſtineri debet. Rebus ita ſe habentibus, juvabit julapium cretaceum ; vel, ſi debilitas canalis alimentarii tantum invaleſcit, laudanum liquidum per ſe, vel adſtrin-

gentibus,

gentibus, ut infuſo decoctove corticis Peruviani, electuario Japonico Pharmacopeiae Edinenſis, ut ſuadet Whyttius celebris, cum aphthae os et canalem alimentarium invaſurae eſſe videntur. Tunc cortex Peruvianus, ſub aliqua forma, cum opio dari debet. Multa vero exempla dyſenteriae non defuerunt, ubi ſuccus Japonicus, multis aliis adſtringentibus incaſſum adhibitis, votis medicorum reſpondit. Haec medicamenta cum uſu vini ad morbum tollendum, ſaltem pleriſque in exemplis, ſufficere reperientur.

F I N I S.